

De iteratis syllabis observatiuncula.

Perlegenti mihi saepenumero carmina Tibulliana maximeque admiranti praeclaram artem compositionis et elegantiam explicationis semper tamen in exordio primae elegiae dissonantia quaedam scrupulos excitavit atque offensioni erat, quae iteratione eiusdem syllabae in fine antecedentis et initio sequentis vocabuli efficitur quaeque per quattuor versus non minus ter occurrit v. 5 *me mea* paupertas, v. 7 *ipse seram*, v. 8 *poma manu*. Ac primo obtutu hanc rem casui ac neglegentiae cuidam adtribuendam et pervestigatione minime dignam esse forsitan quispiam dixerit, sed quandoquidem in hanc minutam quaestionem incideram et persuasum habebam nihil ac ne minimum quidem in rebus litterarum quaerendo plane alienum esse, in has quisquillas aberrare non dubitabam. Servius in Verg. Aen. II 27 ‘*Dorica castra*’ inquit ‘*mala est compositio ab ea syllaba incipere, qua superior finitus est sermo*’. Mihi haec inventa et perspecta sunt.

Contextum earundem litterarum bellum ac laudabilem per se non esse vix quisquam negabit et si Graecorum carmina evolves, exempla huius *κακοφωνίας* (velut Tyrtaei 12, 28 *κῶμα μάχης*), ni egregie fallor, multa quidem non invenies. Sed cogitantibus nobis, quanto labore antiqui poetae Romani versibus faciendis operam navaverint, Lucretius hac licentia saepissime quidem adhibita sed tamen certis quibusdam finibus circumscripta mirationis nihil movebit. Vide nubem locorum: I 27 . . excellere rebus, 386 . . omne necessesit, 515 . . constare relinquant, 746 . . esse secandis, II 107: . . aera rarum, 111 . . potuere recepta, 236 . . subsistere rei, 765 . . candore repente, 862 . . subiungere rebus, 1025 . . ostendere rerum, 1120 . . consistere rebus, III 77 . . caenoque queruntur; sed ne longus sim, ad infinitivum ‘*re*’ syllaba adnectitur 342, 350, 360, 958, 1070, IV 383, 762, 966, 1184, V 1261, VI 55, —452 . . coiere repente —, 1135, ad ablativum in ‘*ore*’ exeuntem IV 31, 65; V 40, 282; VI 146.

Omnia haec exempla iterationem in fine versus praebent; paullum recedit IV 693 recedere rebus odores, V 272 pede detulit undas; vix autem saepius quam I 78 quare religio . . II 326 aere renidescit . . eam hexametro ineunte reperies, sed etiam his ipsis locis elucet syllabam 're' praeter ceteras recursare et 'ra' 'ne' 'se' 'te' 'de' 'que' singula tantum exempla prae se ferre; praeterea apparet Lucretium repetitionem eiusdem syllabae non evitasse, sed potius quaesivisse potissimum ut breves syllabas ad dactylum quintum formandum haberet; sed paulo tantum pauciora sunt exempla, voce 'res' finem faciente, ubi syllabae repetitae in varios pedes cadunt, ita ut quantitate differant et altera longa paenultimam totius versus efficiat. Vergilii eclogae diligenti arte hac in re excellent, tantum uno loco invenitur, VIII 108 . . ipsi sibi somnia fingunt, in Georgicis autem et praecipue in Aeneidos libris morem Lucretianum Vergilius sequitur: Gè. II 104 . . comprehendere refert, 210 . . petiere relictis, III 290 . . addere rebus honorem, 301 . . praebere recentis, 375 . . clamore reportant, 527 . . nocuere repostae, IV 123 . . nocte tegentur opaca, 344 . . Arethusa sagittis; in fine versus 're' iteratur Aen. I sexies, II quinquies, praeterea 235 . . morte tenetur, 722 . . pelle leonis, III quinquies, IV quater, V quater, 71 . . tempora ramis, 89 . . adverso sole colores, VI quinquies, 88 . . Dorica castra, VII bis, 128 suprema manebat, 135 tempora ramo, 324 sede dearum, 616 . . bella Latinus, VIII quater, 176 . . ipse sedili, 177 . . pelle leonis, IX quater, X semel, 704 . . nocte Theano, XI ter, XII quater; rara sunt exempla aliis locis versuum, initio velut Ge. 143 tum ferri rigor, 443 suspecti tibi . . II 282 aere rendenti . . Aen. II 303 ascensu supero, V 186 nec tota tamen . . 467 cede deo etc.; duae breves alterius dactyli efficiuntur Ge. I 171: huic a stirpe pedes . . III 480 et genus omne neci, IV 127 Corycium vidisse senem, Aen. V 149 consonat omne nemus; rarissime penthemimeres caesura aequales syllabas disiungit velut IV 334: promeritam nec me meminisse pigebit Elissae, 380 sollicitat neque te teneo neque dicta refello. — Exempla, quae nominavi, accuratius perspicentem non fugiet, easdem voces (*tenere, leonis, dearum, ramis* etc.) saepius redire; hoc apud elegiacos poetas etiam dilucidius cognoscitur. Quodsi horum carmina cum Lucretio et Vergilio hac in re conferimus, eos tali iteratione, quam inopiam quandam et paupertatem redolere nemo negabit, abstinenter et caute uti videbimus. Catullus praebet in fine versusum 64, 239 mente tenentem, 83, 3 oblita taceret; Tibullus ineunte versu tantum iis locis, quos supra dixi; versu exeunte praeter illud 'poma manu': I 3, 23 multa tabella tuis, 4, 6 sicca canis, 9, 2 violanda dabas, 10, 20 aede deus, Ps. Tib. III 4, 73 . . si ferre recusas, 93 mitissima mater, 5, 20 . . poma manu, IV 1, 135 insistere rebus, 179 accingere rebus; 7, 2 fama magis. Prop. I 6, 33 . . carpere remis — Ov. a. am. II 731 incumbere remis —, II 1, 18 in arma manus — Ov. am. III 8, 48 . . in arma manus —, v. 66 . . poma manu, III 16, 42 arma manu,

IV 6, 46 arma Mari, v. 12 gemma manus — Ov. am. III 5, 10 Roma manus —, II 10, 10 me mea musa docet — Ov. am. I 8, 109 . . me mea prodidit umbra, III 2, 48 me mea terra capit, 6, 100 me mea damna movent; placuisse igitur videtur illud Tibullianum —, III 25, 24 . . carina natet, 32, 42 unde dedit?, 33, 32 Polypheme mero, IV 11, 28 . . puella lacu, 23, 11 . . mandata tabellis, V 2, 50 . . crede deo, 3, 54 . . puella lares, 6, 34 . . Dorica castra (v. Vergilium); Ov. am. II 6, 61 . . placuisse sepulchro, III 1, 22 . . pudore refers, 6, 5 . . transire refugii, 11, 42 . . forma malos; a. am. I 339 . . lumina natis, 478 . . capta tamen, II 111 . . mirere relictum, 131 . . forte tenebat, 457 . . colla lacertis, 483 . . serpente tenetur, III 178 . . veste tegi, 244 . . in aede deae, 429 . . sperare revinctae. — Non opus erit quidquam addere. Insignem autem esse elegiacorum abstinentiam 're' syllabam iterandi — Tibullus ipse ne semel quidem iterat, sed tantum auctores lib. III et lib. IV 1 — is concedet, qui carmina eorum infinitivis quintum dactylum formantibus plane abundare haud nescit; evolvas velim Tibullum I 2, 19 sq.; III 4, 65 sq., inf. perf. I 1, 29; 2, 81; 9, 23 sq.; maxime egregium autem exemplum est Propertianum IV 12, 29: mugisse iuvenco, fugisse puellae, natasse dies, intrasse silentium, adisse lacus, renovasse procorum, statuisset modum, qui versus deinceps sequentes fere ad id, quod nos Reim vocamus, accedunt, cf. IV 23, 9 mansere fideles — promerueri bonos, 7, 56 ora liquor . . aequora venti, Ov. a. am. II 204 tu male iactato, tu male iacta dato; III 236 terga veto . . morosa caveto. — Origo licentiae illius, qua eadem syllaba eandem excipit, cuius fines apud Lucretium, Vergilium, quem posteriores velut Lucanus, Valerius Flaccus etiam in hac re sequuntur, elegiacos circumscribere conabar, est eadem atque abundantis usus infinitivorum, dico gravitatem linguae latinae eiusque paupertatem brevium syllabarum. — His habeo quod addam. Catullus pro infinitivis praecipue syllabas 'ore' adhibere amat in quinto pede hexametri; in eius exercitio iuvenili c. LXIV invenitur quinquies 'corpore', quinquies 'tempore', decies 'pectore'; quod autem hanc vocem tam saepe adhibet, id etiam e linguae Romanae inopia verborum, quae ad mentem pertinent, explicationem sumit; videas enim, qualem vicissitudinem talium vocum in eodem carmine efficiat; tantum ablativos intra ducentos versus numero: v. 54 in corde, 69 toto pectore, 70 toto animo . . tota mente, 72 in pectore, 94 in initio corde, 99 languenti corde, 123 inmemori pectore, 124 ardenti corde, 200 quali mente . . tali mente, 208 oblito pectore, 209 constanti mente, 221 laetanti pectore, 223 expromam mente, 231 inmemori corde, 236 laeta mente, 238 constanti mente, 248 mente inmemori, 250 animoolvebat, 254 mente furebant. — Qui Catullo hanc inscitiam versus bene componendi, hanc tam molestam repetitionem earundem vocum crimini vertere vult, is simul concedere debet, picturam adfectuum animi, qui cupiditate amoris incensus modo huc modo illuc fluctuat, versus Latinos fingenti

summas difficultates paravisse; atque is Lucretii libros conferat, qui simili inopia mirum in modum laborant. — Cum autem locos illos Catulliani carminis oculis percurro, me retinere nequeo, quin vexatissimo rursus patrociner; hi enim ad coniecturam refutandam mihi adminiculo esse possunt, quae quodammodo typica est; est enim sicut multae aliae quas recentiores critici Veronensi poetae obtruserunt e prosaico usu scribendi desumpta atque ex ignorantia sermonis poetici exorta. Pabstius enim ann. Fleckeis. anni 1882 p. 612 causis eiusmodi adductus quas plane nihili aestimem, v. 94 'in miti corde' quasi certissimum proponit. Illa exempla, quae iam adtuli, 'languenti corde', 'ardenti corde' etc. Catullum adtributo adiuncto praepositionem 'in' omittere — quae, si deest adtributum (cf. v. 250 et 54), abesse vel poni potest — Pabstiumque in hunc usum peccare docent. 'Exagitans' autem participium ad Ariadnen referri vult; at Ariadne inops, ardens, amenti caeca furore (197) non ipsa exagitat, sed eius animus exagitur amore velut lepus a venatore vel unda procella. Quod iste vult, Catullus iam supra expressit v. 54: sane gerit Ariadna furores, sed exagitat in corde furores Amor, velut Ovidius nescio an memor huius loci dicit am. I 2, 8: feras pectora versat Amor.

Kiliae.

Alfredus Biese.